


158

C O D E X D I P L O M A T I C U S

fis, præsentibus fateor, Illuſtrissimum Principem Eduardum Fortunatum, Marchionem Badensem & Hachbergensem, Comitem Sponheimensem atque Ebersteinensem, Dominum in Lohr & Mahlberg &c. & nobilem generosamque Dominam Mariam ab Eichen &c. juxta Ecclesiæ Catholicæ ritum, coram nobili Domino Reichardo Roardo a Nuenstain, Marschalco Marchionatus Badensis & præfeto in Lohr, Magnifico & nobili Domino Johanne Aschmanno J. U. Doctore & Cancellario itemque Pro cancellario Alexandro Hæmel J. U. Doctore & nobili Domino Simone Petro Luon supra citati Principis Consiliario &c. præmissis præmittendis legitime fuisse matrimonio junctos in aula arcis Badensis idque *decima quarta Maji anni 1593.* In quorum evidens Testimonium (quod a me exigebatur) has mea manu atque sigillo munitas patentesque litteras ut debui sic libenter impartiri volui,

FRANCISCUS BORNIUS à MADRIGAL
Theol. Doct. præpositus Badensis.



C C C C X C I X.

LITTERÆ CLEMENTIS P. M. QUIBUS EDUARDO
FORTUNATO MARCH. BAD. NUNTIUM SUUM
COMMENDAT.

A N N O . M D X C I V.

Ex Archetypis Brevium ad Principes Clementis PP. VIII. Tom. 48. pag. 166.

Dilecto filio Nobili Viro Edoardo Fortunato Marchioni Badensi CLEMENTIS PP. VIII. Dilecte fili nobilis Vir salutem & Apostolicam

